MARMOR ERYCINUM

SPECIMEN LINGUAE PHOENICIAE AMPLISSIMUM

INTERPRETATUS

ALMAE MATRIS

FRIDERICO-ALEXANDRINAE

SAECULUM PRIMUM

FELICITER PERACTUM

GRATULATUR

AUGUSTUS EBRARD

DR. PHIL., LIC. THEOL., ORDINI THEOL. REPETENTIS NOMINE ADSCRIPTUS.



ERLANGIS

SUMPTIBUS THEODORI BLAESING

MDCCCXLIII.



Typis Barfusianis.

Diebus festis sua quisque munera efficio vel vetustate ad augendam laetitiam publicam offerre solet. Quod quum a nonnullis nunc quoque factum esse viderem, memet ipsum posse sine injuria opusculum minoris nominis in medium proferre existimavi. Accidit enim, ut his ultimis hebdomadibus explicationi tituli cujusdam sepulcralis, qui inter omnis linguae Phoeniciae monumenta superest locupletissimus ambituque maximus, quem tamen nemo adhuc interpretatus est, horis subsecivis operam navarem. Quae res quum prospere cederet, ita ut ea, quae invenerom, haud indigna censerem, quae in lucem proferrentur, neque pietatem erga Almam Matrem literarumque nostram rempublicam significare aeque operi divulgando prospicere ullo mihi modo commodius posse videbar, quum si hanc commentationem quasi xeniam quandam honori Universitatis nostrae dicarem. Recordabar enim tritae illius de phoenice avi fabulae, quem aiunt spatio saeculari intercedente in flammas se praecipitare solere, novoque splendore indutum in vitam novam prodire. Itaque quum nulle vehementiore desiderio flagrarem, quam ut Academia quoque nostra e ruina saeculi collabentis phoenicis instar procederet, atque crescente in dies nomine, dignitate, splendere augeretur, convenire videbatur, ut cineres Phoenicis cujusdam, ante tot saecula humo mandati, ad vitam resurgerent, et his festis diebus legati munere fungentes veteris terrarum orbis gratulationes ad nos transferrent.

---

§. 1.

Accipe, quae **Gesenius**, vir in interpretandis titulis Phoeniciis omnium celeberrimus, de inscriptione nostra praemonuerit. (Scripturae linguaeque Phoen. monum. pag. 158).

„In vicinia montis Erycis urbisque cognominis (hodie Trapani del monte) repertum „est hoc marmor, cujus copiam ex *Antonii Cordicis historia Erycis*, quae teste Castella in „*Siciliae inscr. nova collect.* p. 297, apud Sebiavum Panormitanae ecclesiae canonicum manu „scripta servabatur, Castelina, quem modo memoravi, fecit, p. 296 his additis verbis: „„Exstabat, inquit, superiori saeculo hoc marmor Erycis in aedibus Rocchae Palmae, ac „„dolendum quam maxime, nobilissimum hoc Phoeniciae literaturae monumentum fato pe-„„riisse, ita ut post omnes curas et diligentias adhibitas nullam de eo apud Erycines „„memoriam exstare compertum sit.“

„In eo interpretando nemo ullus, quod sciam, vires periclitatus est, quanquam nulla „majoris ambitus inscriptio, nullum amplius sermonis Phoenicii specimen ex antiquitate „servatum sit; unicumque hoc quod exstat exemplum ita comparatum est, ut plenam totius „monumenti interpretationem vix admittat. Quam ipsam ob caussam quae nos tentabimus, „tanquam modestum ingenii lusum potius, quam interpretationem certam et perfectam eru„ditorum judicio subjicimus, ita tamen comparatum, ut humeris nostris insistens unus et „alter fortasse in opinando et conjiciendo felicior propius ad veritatem adducatur.“

Quae quum a faciendo novo periculo me possent deterrere (quae enim mihi spes est reliqua, ubi desperavit Gesenius?) concitaverunt me, ut opus aggrederer; ipse enim Gesenius siquidem pro lusu tantum ingenii, non pro interpretatione, rem suam vendidit, audax fortasse, non temerarius, dicar, si suspensam causam susceperim.

§. 2.

Gesenius minorem tantum partem tituli explicuit. Prima verba primi versus ita legit לְרַבַּת לְשַׁחְל בַּת־כְּבִרְחַיִּים *Dominae Suthul, filiae Chebir-chajjim.* Quae sequuntur, sic legenda esse suspicatur נגיד לרוח רת איבו, ipse autem fatetur se non assequi, quid haec sibi verba velint hoc contextu. Contra secundum versum integrum interpretatus est, atque ita quidem, ut sententia oriretur mirum in modum perspicua. Legit enim: הַכֹּל צְנָבִים וּמָשָׁל אֲחֵי מַכֹּת בְּנֶמַח בֵּית מֵיכַמֹּשׁ *omnia (sunt) citharae et cantus et gemitus fidium in concione domus Me-Camos (in familia Me-camos).* Existimavit autem, titulum esse sepulcralem mulieris pulchrae, ad quem collustrandum contulit locos *Jes.* 5, 12, *Ps.* 45, 8, al:

De versu tertio nil definit. Id, quod de quarto versu profert, convenit cum illa vers. 2 interpretatione. Ita enim legit: מֵהַשֶּׁלֶג לָהּ יָבַר אַלְכֹּכַב וְאַחִיק שַׂכְּךָ לָךְ בְּלֵב שָׁלֶג *prae nive ei candida erat stella (oculi) et sinus velatus tibi instar cordis nivis.*

Extrema verba versus 5 legit נָבוֹשׁ לָכֶם בֵּן קִינוֹת *pudefactus est vobis filius naeniarum.* V. 7 reperit verba: בת־שחל, nec non vocabulum מיכם. Praeterea nihil explicuit.

§. 3.

Quamvis omnia, quae vir ille de versibus 2 et 4 protulit, magnopere mihi arriderent, neque quidquam magis cuperem, quam ut his vestigiis insistens reliquam quoque tituli partem interpretari possem, tamen primum mihi delineationes marmoris inspicienti gravissimae dubitationes excitatae sunt. Namque id quidem jure eum contendisse dico „singulas „lineas totidem commata sive cola continere“, id quod inde collegit „quod versus 2, 3, 4 non ejusdem longitudinis sunt, neque usque ad lapidis marginem procedunt“ (unde sequitur, statuarium in disponendis literis *sententias* respexisse). Contra quae de singularum literarum potestate statuit, satisfacere mihi non potuerunt.

Primum enim non perspicio, qua de causa per totum titulum eam literam, quae Lin. 1, lit. 20 et 24 et 29, Lin. 2, lit. 25 cet. occurrit, pro *Theth*, non pro *Jod*, habuerit, etsi ei

cum una quadam forma literae *Jod*, quam Gesenius ipse in prima tabula operis sui proposuit, similitudo est maxima, cum characteribus autem, quos *Theth* esse censemus, omnino nulla.

Deinde cum violentia quadam (pace dicam viri illius, quo nemo unquam in his literis exstitit major) characterem, quem in linea secunda octavum numeravi, pro duabus literis habet, quas nescio quo jure כר legendas esse censet. Una mihi esse litera videtur, ab usitatioribus formis literae ה haud multum diversa. (Observes, inter hanc figuram et literam Sanscr. KH. eandem esse similitudinem, quae est inter characterem *Koph* et literam Sanscr. K. Cf. tabulae nostrae fig. 8).

Nihil dicam, quod idem ille Lin. 2 lit. 16 *Nun*, lit. 23 *Tau* legit; namque fieri potuit, ut hujusmodi literae ab apographo, cui unicum nostrum ectypum inscriptionis debemus, minus accurate redderentur, ita ut in talibus literis, sibi invicem similioribus, conjecturis uti merito possimus. (Cf. tamen infra §. 4). Contra in iis literis, quae rariores formas exhibent, suspicio est, apographum accurate reddidisse ea, quae in marmore invenerat. Quamobrem Gesenio non tam facile ignoscam, quod Lin. 2 lit. 8 *Mem*, Lin. 1 lit. 18, Lin. 5 lit. 10 *Nun* legit. Neque intelligere possum, cur lit. 12 Lin. 1 aliam atque *Schin*, lit. 21 ejusdem versus aliam atque *Tau* esse statuerit.

Denique in eo aberravisse videtur a vero, quod eandem figuram Lin. 2, lit. 16 pro *Nun*, ibidem lit. 26 pro *Caph* habuit.

§. 4.

Quamobrem, moleste quum ferrem, tamen facere non potui, quin illa quoque, quae Gesenius de Lin. 1, 2, 4 definiverat, in dubium revocarem, et integrum opus denuo inciperem. Ordiendum mihi esse existimavi a notandis iis characteribus, quorum de potestate viri docti ambigere desierunt. Sunt literae אחיכלמעצקשת, quas in tabulae nostrae fig. 2 legis. Res difficilior est, quod attinet ad literas בדר. Quarum prima insignis est decurrente linea in latus sinistrum inflexa; *Dalet* cognoscitur linea decurrente breviore, *Resch* eadem linea subtus prolongata. Quis autem ignorat, characteres, quales in ipsis marmoribus reperiantur, rarius huic legi respondere? Sed nostrae inscriptionis ectypum si accuratius inspexeris, non te latebit, plerasque omnes figuras cum sollertia quadam vel elegantia pictas esse. Et Gesenius quidem ipse jam animadverterat, „statuarium in variarum figurarum usu elegantiam quandam captasse"; nam si bis eadem litera recurrit, duabus eam figuris, non una eademque, exprimere solet. Praeterea vidi, ultimam quamque praecedentis literae lineam quoad formam magnitudinemve diligenter coaptari solere lineae, qua proxima litera incipit (cf. Lin. 2, lit. 2, 3, 4; 9—10, 11—15, 24—25; Lin. 3, lit. 11—12, 20—22, 26—27 cet.). Unde conjeci, et ectypum nostrum accurate elaboratum esse, et marmor ipsum insigne fuisse sollertia quadam et diligentia. Quae si comprobantur, audax non fui, quum istam quoque literarum triadem: בדר, in nostro titulo accuratius distinctam fore speravi. Etenim *Bet* litera conspicua erat linea subtus inflexa;

literam *Resch* triangulari capite, literam *Dalet* stilo vel breviore vel omnino omisso a litera *Bet* differre existimo (Cf. fig. 3.)

Ita et inter literas כלנ, ח et ל, ר et נ sua intercedere discrimina mihi persuasum est. (Fig. 4–6). Denique quid de figuris quibusdam literarum החי statuendum censerem, fig. 7. indicavi, ubi et ostendere conatus sum, quomodo literam 4 Lin. 2 supplerem.

§. 5.

Remanent characteres nonnulli, mirum in modum ambigui: Lin. 1, lit. 23; Lin. 3, litt. 3 et 16; Lin. 4, lit. 7; Lin. 6, litt. 14 et 16; Lin. 7, litt. 5 et 11 et 13–14.

Lit. 4–5 lin. 7 composita esse videtur ex *Ajin* et *Tau;* Lin. 1, lit. 23 et Lin. 3, lit. 3 pro *Theth* habeo. Eandem figuram **Koppius**, vir multi nominis in interpretandis linguae Phoeniciae monumentis, in titulo Melit. II, lin. 2, lit. 11 sibi reperisse visus est *(Bilder u. Schriften*, I, pag. 217 et 262 sqq.). Sed **Gesenius** (pag. 104 et tab. VII.) demonstravit, illic idem *Resch* exhiberi, quod in titulo isto saepius occurrit, **Koppium** autem apographo minus accurato in errorem deductum esse. Nostro loco alia res est. Lit. 23 lineae primae habet neque caput triangulare nec stilum e duabus lineis parallelis compositum, sed curvis lineis tota constat. Quodsi exemplaria illa, a **Koppio** (p. 217) et **Gesenio** (tab. I.) proposita contuleris, non dubitabis, et Lin. 1, lit. 23, et Lin. 3, lit. 3 (quae fortasse supplemento eget) *Theth* legendas esse.

De reliquis figuris, quas initio hujus paragraphi memoravi, vide infra.

§. 6.

His praemissis, integram inscriptionem ita lego:

גל רב חל שתל כת שבר חים חוית לטיח רח איבו
הכלח הכית משל אחי מכתבו מחבל מי כמש
ההטית משל הל נם הנרח חהך כל הכין וכחש
מי שלגל איב ררך כברא היקש ככל כבל כשלו
בך צב והלבב הבש לך מבך הכח לכך – –
לח עמם יכח ישלג כן ח – – – שחח ו – –
יאב עתגר מקם קלעים לב ישלג – –
רב חט צום ולץ ינמלך יכעש – –

§. 7.

VERSUM PRIMUM Hebraeorum more ita scribas:

גִּיל רַב חֵל שָׁתוּל בֵּית שֶׁבֶר־חַיִּים חֲוִית לְטִיחַ רוּחַ אֹיְבוֹ:

i. e. *(In) longum tempus tumulus plantatus est; domus fracturae vitae; tentorium, quod sit tegumentum animi (maligni) inimici ejus.* De literis vide supra. גיל sensu *aetas*, *aevum*, in compluribus dialectis semiticis invenitur; imprimis Samaritani hac voce utebantur (cf. et Arabum vocem جيل) sed etiam in parte *Danielis* hebraice scripta occurrit (1, 10). Nomin. abs.

simili modo adbibitum vides *Hos.* 3, 3. חל שהול, ita vel *urbs* plantari dicitur *Hos.* 9, 13. שבר־חיים, *fractura vitae*, idem est, quod *mors*. „Domus mortis" est sepulcrum. Suspicio autem est, hoc dicendi genere mortem vi allatam significari. Forma חוית idem exprimere videtur, quod חוה, quae vox apud Hebraeos plurali tantum numero legitur *(Num.* 32, 41 cet.) חוית autem haud aliter derivatur a verbo חוה, quam חנית *hasta* a חנה. Sententia hujus versus commentario non eget. E verbis extremis conjicias, defunctum inimici cujusdam vexationibus fuisse obnoxium, a quibus defendi dicitur auxilio sepulcri tanquam tegumenti cujusdam.

VERS. SECUNDUS.

הַבָּלַח הוֹבִּיחַ מְשַׁל אָחִי מִכְּתָבוֹ מֵחֶבֶל מִי כָּמוּשׁ׃

„Senectus arguat" (erat) dictum fratris mei, scriptum ejus (erat): „e terra quis est reconditus?"
De lit. 4 vide supra. Literae *Zade* similis non est, forma nimis quadrangulari. Contra si decurrentem lineam cum lineola quadam transversa suppleas, character literae *Chet* integer conspicitur. Vox כלח cognita est. כמש pro כמס dictum est, litera *Samech* evitata, quae in titulo nostro non reperitur (cf. Lin. 8, lit. 19). *Samech* cum *Sin* saepius commutari, quis est qui nesciat?

Difficilior videtur sententia. Memineris autem, jam illa versus primi verba: שבר חיים significasse mortem violentam. Fac homo, cujus ossa hoc titulo sepulcrali ornantur, ab inimico quodam latente clam sit interfectus; repererunt cognati ejus cadaver; ipse frater hanc ampliorem inscriptionem cineribus imposuit, et ad consolationem, et ut homicidae animum, criminis conscium, austeris verbis excitaret.

Utebatur autem duobus proverbiis, quae frater, dum vivus erat, in ore gesserat. Morem fuisse, ut proverbia defunctis usitata sepulcris inscriberentur, titulo Melitensi secundo (si Gesenius recte interpretatus est, pag. 105) demonstratur. — In secundo hemistichio vocabulum משל varietatis causa commutatur cum voce מכתב.

Ipsorum autem proverbiorum sententia haec est. Reus (inquit sententia priore) quamvis diu latuerit et ad majorem vitae aetatem provectus sit, fore tamen ut vel in calce vitae crimine arguatur. Deinde: neminem, ait altero proverbio, e terra posse recondi, i. e. clam semoveri, interfici.

VERS. TERTIUS.

הֲהִטִּיחַ מֹשֵׁל הֲלֹא גַם הִנִּדָּח תַּחוּךְ כֹּל הַפֵּין נִכְחָשׁ׃

Num tegumentum dominatur? Nonne etiam expulsus? Abibit omnis, justus et mendax.

Hic versus multo majores difficultates affert, quam versus praecedentes. Vel de lectione dubitationes moventur. Dicat aliquis, primam literam vel esse eandem vel ita suppleri posse, ut sit eadem, quae Lin. 7, lit. 4 – 5 exstat; itaque legendum esse aut: עת הַטִּיחַ מְשַׁל *tempus sepulcri* (tempus, quo cineres conditi jacent) *nonnisi proverbium est*, aut עַתָּה טִיחַ מֹשֵׁל *nunc quidem sepulcrum dominatur* (ubi articulus desideratur). In utrisque verbis nescio quid de solvendis sepulcri vinculis latet. Jam pergat noster, vers. 1 legendum esse שבר חיים (domus *spei* vitae); porro extremis verbis vers. 2 inesse sensum:

neminem in aeternum e terra reconditum esse i. e. mortuos omnes in terram quandoque reversuros. Tenor sententiarum bene servaretur. Nimirum homo interfectus a fratre humo mandatur; sed hoc sepulcrum spes est vitae restituendae; non est carcer, sed „tegumentum" tantum, quo ille defendatur ab insidiis inimici; veniet autem tempus, quo iste crimine urguatur; veniet tempus, quo ille, quem interfecit, ad vitam resurgat. — Quae omnia quadrarent, si de Phoenice avi sermo esset; quid vero Phoenicibus populo cum hac resurrectionis doctrina?

Antequam nostram sententiam collustremus, moneamus, de decima quoque litera ambigi posse, utpote quae vel ח vel ל esse potest. Quodsi lit. 9 cum litt. משל in unum vocabulum constringas, legere possis מַשְׁלָה חנם vel מַשְׁלָה לנם; משלה esset part. Hiphil verbi שלה, quod in conj. Hiph. *decipere* significat. Sententia esset: *tempus sepulcri fallit nos.* Quid autem sibi velit חנם vel לנם, non assequor. Neque eam lectionem feras: הללם הגרח, ubi lit. 11 non sine violentia quadam pro ל habetur.

Nulla autem difficultas remanet, si nostram lectionem accipis. Primam literam v. 3 primae literae secundi versus esse similiorem, quam quintae literae versus septimi, quis est quin videat? התטיח igitur interrogatio est. Radicales משל cum elegantia quadam (per plocen) novo sensu adhibentur. Quae opinio vel hanc ob causam commendatur, quia inter lit. 5 et 6 signum illud semilunare superscriptum est, quod autoribus Koppio, Gesenio (cf. Gesen. p. 179 ad Carthag. 8) ad insolentiorem vocabulorum vulgarium pronuntiationem indicandam adhibebatur. Literas sequentes הל גם lego הלא גם; א quiescens alias quoque omittitur, ex. gr. in inscriptione Sardica, ubi בתרששנגר legendum est בֵּית ראש שֶׁנֶּגֶר (Gesen. p. 156 praeterea cf. Carth. 8, lin. 2, lit. 16—17 et Gesen. p. 57 et 180). הַנִּדָּח part. Niph. verbi נדח *expellere*, significat *profugus, expulsus* cf. *Mich.* 4, 6. Simili modo נִרְדָּף *Coh.* 3, 15 de *mortuo* intelligendum esse opinor.

En habes commatis sententiam: *Num sepulcrum dominatur? Imo et is, qui terra est expulsus, suam habet potestatem.* I. e. noli opinari, homicidae nihil ultra esse timendum, quum primum sepulcro inclusus sit interfectus; *improbo* inquit *non minus est moriendum, quam justo;* percussor igitur et ipse ad inferos quondam descendet, ubi justum de eo supplicium sumet is, quem vita exuerat. (Verbum הוך *abire*, Hebraeis inusitatum, in libris chaldaice scriptis occurrit, ex. gr. *Esr.* 5—7. Et quum fere nullus sit Hebraeorum liber, quo non singula vocabula chaldaica reperiantur, non est, quod hoc vel a Phoeniciis fieri potuisse negemus.)

VERS. QUARTUS.

מִי שֶׁלְּגִיל אֹיֵב דֶּרֶךְ כְּבוֹא רִיקֵשׁ כְּכָל־כְּבוּל בְּשָׁלֵו׃

Quis (est) qui in aeternum inimicus sit? Via qua incedit insidians, sicut omne injucundum, tranquilla est. Lit. 7 cum Gesenio facile ita suppleri posse opinor, ut *Aleph* oriatur. — De voce גיל vide supra. לגיל idem est, quod לְעוֹלָם. Audax fui in interpretandis verbis דרך כבוא, quamquam leges linguae Hebraicae excessisse mihi non videor. Proprie est *ein Weg wie das Kommen (wie der Weg des Kommens) des Hinterlistigen = ein solcher Weg, wie der, worauf*

der Hinterlistige kömmt. כָּבוּל semel tantum occurrit in vet. test. 1 *Reg.* 9, 13, ubi nom. propr. est. Sunt qui derivent a voce inusit. כבל = חבל (cf. كبل, ܟܒܠ) unde כֶּבֶל *compes; Josephus* autem (ant. 8, 5, 3) asseverat, in idiomate Phoenicio *χαβαλων* (sic enim reddit nomen כבול) significare: *οὐκ ἀρέσκων, ingratus, injucundus.* Quem ignarum fuisse idiomatis Phoenicii quum vix credere possim, nescio an hac in potestate vocabuli acquiescere liceat, etiamsi iste eam ad explicandum locum 1 Reg. 9, 13 praepropere adhibuerit. — שֶׁלִי vel שְׁלֵיו (*Hiob* 20, 20; *Jerem.* 49, 31) est *tranquillitas.* Simili modo בַּשֶּׁלִי adverbii loco ponitur 2 *Sam.* 3, 27. *Via est tranquilla* i. e. orba hominibus.

Continuatur igitur sententia versus praecedentis. Quum percussorem ipsum fatum maneat, tempus veniet, quo odiis insidiisque absistat.

VERS. QUINTUS.

בְּךָ צֹב וְהַלֵּבב הוּבשׁ לָךְ מְבוּךְ הַכַּת לְבְךָ - -

Super te est tectum, et cor aruit tibi. Terror contudit cor tuum, - - Lit. 10 simillima est literae 5 Lin. 2, literis 1—2 Lin. 3, quamobrem dubium non est, eam *He* legendam esse. Literam 18 Gesenius pro *Koph* habet. Posset sane, sed suspicionem movet figurae et alta positio, qua in aëre suspensa esse videtur, et tractus exilis, unde partem literae delituisse conjicias. Qua de causa ea mihi opinio confirmata est, hanc figuram ita supplendam esse, ut *He* oriretur. (Cf. fig. 9).

Vix opus habeo, ut ad vocabula explicanda aliquid afferam. מְבוּכָה, a verbo inus. בּוּךְ, locis *Jes.* 22, 5; *Mich.* 7, 4, quibus solis legitur, in sensum: *terror, perturbatio,* accipitur. Forma מְבוּךְ (vel si malis מְבוּךְ vel מִבַּךְ) quae in titulo nostro legitur, in vet. test. non exstat. Sed conferas formas מָצוֹק et מוּצָק cum forma מְצוּקָה, formam מָצוֹר cum forma מְצוּרָה cet. praeterea formas: מָקוֹם, מָאוֹר, מָדוֹר, מָבוּשׁ a verbis קוּם, אוּר, דוּר, בּוּשׁ, et alias hujus generis innumeras.

Autor tituli hoc versu ab increpando percussore ad fortunam fratris lugendam revertitur.

VERS. SEXTUS.

לוּחַ עַמִּים יָבַח יִשְׁלָג בֶּן־ח··· שַׁחַת וְ····

Tabula gentium demonstrat τὸν Iischlag, filium Ch. - - . *Putredo et* - -

De litt. 16—18 nihil definio. Binas figuras ter recurrentes, quas octavo, decimoquinto, vicesimo loco numeravi, *singulas* literas efficere, persuasum habeo (cf. fig. 10). Nam, quid sibi velint his tribus locis literae רב (vel נב) non video.

Literae ישלג eodem modo sub finem versus sequentis occurrunt. Quum nostro versu voce בן excipiantur, dubium non est, id nomen proprium esse defuncti. Forma similis est nomini יִצְחָק, יִגְאָל. Etymon est verbum denom. שלג, *nivis instar resplendere;* quod etsi in vet. test. nonnisi in conjug. Hiph. reperitur, tamen etiam in conj. Kal adhibitum esse videtur, cf. verb. Arab. ثلج *hilarem esse.* — יבח conj. Hiph. in malam sensum accipi solet *(crimine aliquem arguere).* Conjug. Kal, in vet. test. inusit., potestatem *demonstrandi* habuisse vide-

tur. Quod si nonnullis minus comprobetur, legant יוכיח, quo sensu adhibetur *Jes.* 2, 4; 11, 3: *Hiob* 9, 33. „Tabula gentium *judicabit* τὸν Iischlag.“ Verbum „*tabula gentium*“, sensu tropico dictum, significare videtur monumenta rerum gestarum („*die Tafeln der Geschichte*“) vel existimationem publicam, nisi forte de aliquo peculiari instituto jurisdictionis Phoeniciae rem intelligere velis.

Autor, postquam in his verbis fratrem laudibus extulit, altero commate, cujus unum tantum vocabulum integrum servatur, horrendam mortui conditionem descripsisse videtur.

VERS. SEPTIMUS.

יֶאֱב עַתֵּנוּ מֵקִים קְלָעִים לֵב יִשְׁלַג···

Desiderat gens nostra eum, qui surgere faciat velamenta. Animus τοῦ Iischlag - -

Diu haesitavi, quomodo hunc versum legerem. De voce עתני quidem non erat quod ambigerem. עַת pro עַמַּת *populus* legitur in inscript. Thugg. 1 et 3; 1 Numid. 3; 6 Numid. 2—4. Cf. Gesen. pag. 188, 199. (Possit etiam עֵת *tempus, aevum* esse. Sed „aevum nostrum“ = „aequales nostri“, paullo durius dictum est, quod propterea recuso.) Litt. 11—14 autem difficillimae sunt. Tandem ei me opinioni dedi, litt. 11 esse *Sain*, characteres 13—14 unam literam *Theth* constituere. Legi igitur: יאב עתנו מקום זג טם־לב ישלג *concupiscet (amabit) gens nostra locum, quo recessit purus corde Iischlag.* Sed hac in opinione haud diu acquiescere potui. Sententia contorta, lectio ipsa violenta; ceterum זג pro סג, טם pro תם scriptum esse, nimis audacter supposui (quamquam וך pro סך legitur sub finem tituli Thugg. cf. Ges. p. 191). Quum igitur mihi ipse non satisfacerem, delineationibus denuo inspectis ea supplendi ratio, quam fig. 11 descripsi, summopere mihi arrisit. Fac exiguum spatium, quod inter lit. 10 et 11 desideramus, in ipso marmore non defuerit et ab apographo tantum sit omissum, et habes conjecturam, qua nihil esse potest simplicius. Oritur autem sententia aptissima. Non tantum ipse ille homo defunctus, quem autor tituli terribili modo occisum, sepulcro inclusum, putredini obnoxium, nomine tantum superstitem vv. 5—6 descripserat, sed etiam aequales ejus vix exspectare possunt diem, quo ultor injuriae justum supplicium petat a reo adhuc impune latente. — Alterum comma mancum est.

VERS. OCTAVUS.

Interea ad principem deorum inferorum causa defertur. Namque extremum versum ita interpretor:

רַב חֵטְא צִים וָלַע יְגַמְּלָךְ יַכְעִישׁ···

Princeps reatus (poenarum) inediae et irrisionis benefaciat tibi; aegre faciat — —. Lit. 11 facile ita commutari potest, ut *Jod* oriatur. Etiam lit. 16 *Jod* esse, dubium non est. Extrema litera, quae manca est, *Sin* fuisse videtur (cf. fig. 12), quod secundo quoque versu locum literae *Samech* obtinuit. Ceterum כעש pro כעס *(subst.)* vel in libro *Jobi* et in titulo Thugg. lin. 5 (cf. Ges. p. 150) occurrit. — גמל eodem sensu dictum est, quo 2 *Sam.* 19, 37; *Jes.* 63; 7 al. occurrit. — Sententia hujus versus nullo commentario eget.

Atque ita titulns noster interpretationis non est expers. Una est res reliqua, de qua dubitatioues possint oboriri. Invito enim Phoeniciorum consuetudine statuimus, voces כביא lin. 4, עחנר lin. 7, צום lin. 8, plene esse scriptas. Sed his tribus locis si נ vel ז legeris, sensum nullum assequeris; si autem lectionem י retineas, voces alio non modo dispescere possis. Et eo magis hac nostra in opinione acquiescere possumus, quum non semel sed ter lex ista (Ges. p. 57) violetur, et Jod quoque, etiamsi consonam non agat, in titulo nostro saepius, quam mos est, servetur, cf. חוית, לטית lin. 1; הבית (ad dignoscendam conj. Hiphil) lin. 2; התטית et הכין lin. 3.

Autorem inscriptionis penultimo versu prophetice locutum esse opinor. Etsi enim comportum non habeo, num occulta mortis causa sit investigata, tamen (si verba יאב עחנר מקים קלעים alium in sensum accipias) ille non defuit, qui conaretur eo velamenta demere, quibus ipsius tituli sententia tot saeculis operta erat. Agedum in vitam resurgat Phoenix noster, et quum hoc temporis spatio plus quam satis de fato suo querelarum fuderit, jam voce suo feliciter recuperata ad laetiora carmina canenda utatur!
